

dunt, non habita ratione multitudinis aut paucitatis personarum. Sicuti è contrario in capita fieri dicitur successio, cum tot partes constituuntur, quot sunt personæ succedentes *l. 2. C. de suis & legit.*

TH. XXI.

Scripto herede deliberante, filius exheredatus mortem obiit, atque ita scriptus heres omisit hereditatem, nepos ex illo filio susceptus avo suus heres erit: quare qui non obstat jure intestati, jure testati obstare videtur. *l. 7. pr. ff. unde liber.*

TH. XXII.

Interdum nepotes & deinceps, etiamsi parentes eos mortis tempore præcesserint, tamen sui heredes existere possunt, quamvis successio in suis heredibus non sit. *l. 1. §. 8. ff. de suis & leg.*

TH. XXIII.

Si filius suus heres esse desiit, in ejusdem partem succedunt omnes nepotes neptesque ex eo nati, quod naturali æquitate contingit. Aliquando, si quis non desiit, sed nunquam cœpit, nepotes in ejus locum succedunt. *l. 1. §. 4. & 5. ff. de suis & legit.*

TH. XXIV.

Non ideo minus ad aviæ maternæ bona ab intestato nepotes admittuntur, quod vulgo quæsiiti proponantur *l. Modestinus. 8. ff. unde cognat.*

TH. XXV.

Descendentes ulterioris gradus soli vel sunt ex una stirpe v.g. tres nepotes unius filii & succedunt in capita: vel ex diversa & succedunt in stirpes.

TH. XXVI.

Filio, qui mortis matris tempore civis Romanus fuit, si ante aditam hereditatem in servitutum deducatur, legitima hereditas non defertur. *l. 1. §. 4. ff. ad Sct. Tertull.*

TH. XXVII.

Legitimati per subsequens matrimonium eodem modo, quo legitime nati, succedunt, etiamsi legitimatio facta in articulo mortis, aut post intermedium matrimonium *§. 2. 7. de success. que ab intest. N. 89. cap. 8.*

TH. XXVIII.